


PLEIAS SACRA,

Id est,

SEPTEM EPISTOLÆ CATHOLICÆ.

Catholica dicuntur hæc epistolæ, quòd non uni homini aut uni ecclesie, sed ecclesie Catholicae sint inscriptæ, si excipias duas posteriores Johannis. Itaque hæc nomenclatura est à majore parte numeri. Deinde appellantur Canonicae; quòd sub uno canone, id est, formulâ, mitterentur ad plures. Unde quibusdam patribus dicuntur epistolæ formales. Sunt tamen qui canonicas dictas contendunt, ob consensum cum scripturis canonicis. Et si enim à quibusdam fuit dubitatum de nonnullis harum epistolarum: Ideo tamen non sunt apocrypha: quia iudicium non particulare, sed universale requiritur, ut scriptum habeatur pro apocrypho.



EPISTOLA JACOBI.

Erant Apostolorum tempore duo genera hominum, primum iustitiariorum, qui legem urgebant: contra hos Paulus disputat ad Rom. & Galat. Alterum eorum, qui carnis affectibus dediti, licentiam peccandi sub fidei prætextu quærebant. Adversus hos agit Jacobus, & quàm enixissime docet, quomodo credendum sit Christianis. Quod itaque bis tantum meminit Christi, ideo factum est, quod Christianos satis superque institutos de Christo, suscepit erudiendos.

CAPUT I.

I. **D**uo fuerunt Apostoli nomine Jacobi, *Matth. 10.* Unus Zebedæi, alter Alphæi: Prior ille fuit sublatus ab He-